


Bernhard Wagner Gottfried Hecking


Disputatio Theologica De Gratiōsa Vocatiōne Ad dictum Marc. c. XVI. v. 15. & 16.

Argentorati: Pastorius, [1710]

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn84129707X>

Druck Freier  Zugang





40

Fa-1092 (40.)

2.

3.

4.

6.

7.

8.

9.

10.

11.

12.

13.

14.

15.

16.

30

27.


26.

2

24.

2

2



כש הקבר

DISPUTATIO THEOLOGICA
DE
GRATIOSA
DEI VOCA-
TIONE,

Ad dictum Marc. c. XVI. v. 15. & 16.

Quam

Auspice DEO

SUB PRÆSIDIO

VIRI Maxime Reverendi, Amplissimi atque

Excellentissimi DOMINI

BERNHARDI WAGNERI,

SS. Theol. D. & Prof. Publ. Primarii Celeberrimi,

Facultatis Theologicæ Senioris, Conventus Ecclesiastici Præ-
sidis, Cap. Thom. Canonici undiquaque
meritissimi,

DN. Patroni, Fautoris atq; Præceptoris sui omni

honoris & amoris cultu pie devenerandi,

☿ Die 5. Martii A.O.R. MDCCX.

Ad SOLEMNEM συζήτησιν proponit
A. & R.

GOTTFRIED Heckhing / Ulmens.

SS. Theol. Stud.


— 85 —


— 86 —

ARGENTORATI,

Literis JOHANNIS PASTORII.

30.





L. B. S.



Ntequam Pereximius at-
que Doctissimus Dominus
Respondens, idemque Au-
tor hujus Disputationis;
Academiae nostrae valedice-
ret, specimen aliquod Stu-
diorum Suorum Theologi-
corum edere, & quam lau-
dabiliter tempus illud, per quod apud nos vixit,
collocaverit, imprimis Dominis Patronis Suis
ostendere voluit. Eum in finem ipse proprio
marte hanc Dissertationem *De Gratiōsa DEI*
Vocatione, ad Dicitum Marci Cap. XVI, vers. 15.
& 16. elaboravit, & ut sub qualicumque meo
Praesidio in Solenni Congressu Academico ean-
dem sibi defendere liceret, me amice compella-
vit. Nil causae vero egomet habui quare petitum
adeo honestum ipsi denegarem. sed varias poti-
us inveni rationes, ob quas officium hoc lubens
in

in me suscipere, inter quas hæc imprimis fuit,
quod Domini Auctoris pietas, morum honestas,
& singularis in Studio Theologico excolendo in-
dustria jam dudum mihi probè erat perspecta, ob
quam etiam dignissimum Eundem judicavi, cui,
Venerandi Conventus Ecclesiastici nomine, veniam
Concionandi in sollemnioribus Ecclesiæ nostræ Con-
ventibus concesserim. Quemadmodum verò nullus
dubito, quin eximia cum laude Respondentis officio
defuncturus sit: ita ulterius quoque Divinam Gratiam
atq; assistentiam ad felicem laudatissimorum Studio-
rum continuationem, lætumque in proposito itinere
successum ex animo ei precor, & Benevolis Le-
ctoribus, imprimis vero Amplissimis Dominis
Patronis, qui beneficiis egregiis ipsum exorna-
runt, quibus etiam ipse egregie & laudabiliter
usus est, optimum in modum eundem commen-
do. Perscr. Argentorati, die 20. Februarii.
Anno DOMINI clō lō cc x.

Bernhardus Wagnerus D.

כשי



כשי



Um Theologicum aliquod quali-
 umcunque meorum profectuum eden-
 dum esset specimen, antequam Musas
 Saxonicas B. C. D. adirem, sane melli-
 fluus de GRATIA VOCATIONIS
 Articulus dignus omnino fuit visus,
 in quo cogitationes meae ad eximi-
 um quidem Salvatoris Marc. c. XVI, v. 15. & 16. mandatum
 paulo altius defigerentur. Eam quidem ob causam, quod per ge-
 nuinam illius explanationem multum solatii afflictis afferri, &
 contra per temerariam ad paucos restrictionem, in nescio quam
 miseriam, imo ipsam tandem desperationem tentatos conjici
 jamdudum animadverterint Theologi nostri. Placuit autem,
 ne nimis excresceret labor, in III. *Sectiones* hoc quidquid est
 opellae ita dividere, ut in I. *Dicti citati explanationem*; in II.
Totius Articuli expositionem; in III. *Ejus in vita applicatio-*
nem sim traditurus. Tu B. L. hosce conatus æqui boniq;
 consule, si quos errores deprehenderit, scribentis juventuti,
 temporisque brevitati, quia festinandus hic labor erat, adscri-
 be, meq; Tuo favore indefinenter complecti dignare. DE-
 US clementer primitiis hisce benedicat, Amen.

SECTIO I. ANALYTICA.

§. I. **V**erba *Textus* ita leguntur: και ειπεν (ο ιησους)
 αυτοις (μαθηταις): πορευθεντες εις τον κοσμον
 απαντα, κηρυξατε το ευαγγελιον παντα τη κτισει.
 ο πιστευσας και βαπτισθεις, σωθησεται. ο δε απιστησας, και

*sect. I,
 Analyticae
 §. I.
 Textus cum
 Versionibus.*

A

τη-

ⲡⲓⲕⲟⲓⲓⲃⲉⲧⲉⲩ. Quæ latinè vertit Vulgatus h. m. *Et dixit eis: euntes in mundum univrsam, predicate Evangelium omni creatura. Qui crediderit & baptizatus fuerit, salvus erit, qui vero non crediderit, condemnabitur.* Non multum abeunt Münsteri, Ariæ Montani, Bezae, Tremellii, Castalionis, itemque Schmidiorum, Erasmi & B. D. Sebastiani Versiones, nihil igitur iis immorabimur, sed B. tantum Megalandri nostri Germanicam addemus, quæ hæc est: **Und (Jesus) sprach zu ihnen: (den Jüngern) gehet hin in alle Welt / und prediget das Evangelium allen Creaturen. Wer da glaubet und getauffet wird / der wird seelig werden / wer aber nicht glaubet / der wird verdammet werden.**

§. 11.
Connexio,

§. II. Textu cum translationibus præmisso, nunc ejus cum antecedentibus *Connexionem* ex rite collatis Matthæi, Lucae & Johannis postremis capitibus paulo accuratius indagabimus. Nimirum Christus, Salvator noster optimus, cum gloriose ex mortuis resurgens, plurimos suorum maximo in metu, maximis in angustiis constitutos videret, imo ex carnis infirmitate de resurrectione sua dubitantes, *πολυμερῶς ἔν πολυτρόπως* ipsis apparuit, eorum sic infirmitati, *ὡς δυνάμενος συμπᾶσιν τοῖς ἀδελφαῖς ἡμῶν*, Hebr. 4, 15. consulturus, omnemque ex corde dubitationem evulsurus. Resurrectione itaq; sua mulieribus per Angelum annunciata, Marc. 16, 6. primo omnium conspiciendum se præbuit Mariæ Magdalena, à seipsem diabolis per Dominum liberata, Marc. 16, 9. postea feminis à sepulchro reversis, Matth. 28, 9. & discipulis iter in Emaus facientibus Marc. 16, 12. Luc. 24, 13. qui gaudio perfusi undique ac delibuti, quæ gesta fuerant, denunciant Apostolis, sed cum hoc *ἀτόπον* illis *ἔν πάσις ἡμέραις ἀνάξιον* esset visum, Christus ipse absente primum Joh. 20, 19. seq. Luc. 24, 36. seq. post octiduum vero præsentem Thoma Joh. 20, 26. tandemque ad mare Tiberiadis Joh. 21, 1. ipsis se manifestavit, multisque *τεκμηρίοις* resurrectionem suam comprobavit eum in finem, ut sublata & extirpata omni de resurrectione

ctione

ctione sua dubitatione, quam Hierosolymis per impie & falso divulgatam famam animis inspergere tentabant Proceres, Matth. 28, 12. firmiter & certo crederent, ipsum vere resurrexisse, veroque suo corpore jam apparere, fidesque eorum, quæ ὑπόστασις est, αἴσιν suam hoc etiam in articulo haberet, cui certo inniti posset. Omnium autem illustris ac præcipua fuit manifestatio, quam Christus ipse promisit Marc. 14, 28. quam certo futuram iterato repetiit Matth. 28, 10. ad quam Angelus mulieres ablegavit, Matth. 28, 7. facta in monte Galilææ Matth. 28, 16. quem Interpretes plerique Tabor fuisse statuunt, in meditullio Galilææ inferioris situm, præsentibus plus quam quingentis fratribus, 1. Cor. 15, 6. Ibi Christus adoratus ab Apostolis, de data & concessa sibi juxta humanam naturam omni in cælo & terra potestate testificans, vi hujus ἐξουσίας & potentia discipulos in universum emittit mundum, ut prædicantes Evangelium, homines ad Ecclesiæ communionem vocarent, inque ejus sinum reciperent. Hanc totius capituli connexionem esse, ei, qui tres Evangelistas contulerit manifesto patebit. Quod enim Marcus mandatum de prædicatione Evangelii cum exprobratione ἀπιστίας καὶ σκληροκαρδίας immediate conjungit, id monente B. Gerhardo in Harm. Evang. Cap. cccvi. p. 2229. b. exinde est, quod non seriem manifestationum exponere, sed brevem eorum summam, quæ Christus in variis apparitionibus cum discipulis locutus erat, ἐπιτομικῶς exponere, Marco propositum erat.

§. III. *Sensus ergo Verborum* hic erit: Christus per gloriam Patris ex mortuis resuscitatus, antequam mundum per majesticam in cælos ascensionem defereret, seque devictis hostibus ad dextram Patris ut gloriosus victor collocaret, emisit discipulos in omnem ac universum terrarum orbem, ut omnibus creaturis rationalibus Evangelium prædicent, omnes per audibile ac visibile verbum ad fidem vocent, omnibusque gratiam DEI merito Christi partam offerrent, quo fide hanc gratiam amplectentes, in eaque ad vitæ finem persistentes æternum salventur, damnatis è contra propter incredulitatem iis, qui vera fide hanc oblatam gratiam non sint apprehensuri, sed contempturi ac rejecturi.

§. III.
Sensum.

A 2

§. IV.

§. IV.
Resolutio.

1. Quis vo-
cans? Chri-
stus.

§. IV. Sed ut clariora hæc fiant, ipsa nunc textus vi-
scera accuratius inspiciemus, & ut ordine procedamus, hoc
de universali omnium hominum vocatione agens mandatum
in quinque membra resolvemus, consideraturi: I. *Quis sit
vocans?* Christus. II. *Per quos vocaverit?* per Apostolos.
III. *Quos vocaverit?* omnes homines. IV. *Ad quid?* ad
fidem & salutem. V. *Quo medio?* Verbo & Sacramentis.
Quod I. *Vocantem* attinet, seu eum, qui mandatum de præ-
dicando per totum mundum Evangelio Apostolis dedit, du-
bium non est, quin Salvator noster dulcissimus ipse sit, de Eo
enim ut ex mortuis resuscitato variisque apparitionibus mani-
festato hoc caput agere in aprico est. Christus est, qui ceu
Magnus ille Propheta Luc. 7, 16. à Mose prædictus Deut. 18,
15. & 18. καὶ ἑστηκὸς noster unicus Matth. 23, 10. ut omnem de
salute nostra Patris sui voluntatem revelaret, & nos ad salutis
viam informaret, ipse ex immensa σιλωθροῦ in hunc descen-
dit mundum, ac doctrinam divinam ὡς ἐξουσίαν ἔχων Matth. 7,
v. ult. prædicavit. Veniens primo εἰς τὰ ἴδια, in propria, Joh.
1, 11. populum Judaicum, ut missus εἰς τὰ πρόβατα τὰ ἀπολωλό-
τα οἴκῳ Ἰσραὴλ, ad oves perditas domus Israel Matth. 15, 24. de
salutis via instruens, sed cum sui Eum non recipere Joh. 1,
11. in Galilæam Joh. 4, 3, & cum nec ibi ab insidiis & perse-
cutionibus tutus esset, εἰς τὰ μεθρία, ad confinia Tyri & Si-
donis concedens Marc. 7, 24. ut ibi tanquam חֲמוּת כָּל הַגּוֹיִם
desideratus omnibus gentibus, multis suspiriis, precibus ac ge-
mitibus jam pridem ab omnibus exoptatus Hagg. 2, 7. vid. Bal-
duin. Comment. in h. l. p. 1345. desiderium illorum præsentia
sua expleret; ut אור גוֹיִם lux gentium Esaj. 42, 6. אור גֹּבֵר
lux magna Esaj. 9, 1. populum in tenebris ambulantem doctri-
næ cælestis radiis illuminaret, conf. Esaj. 49, 6. & c. 60, 3.
Hoc ipso ostendens, quid post suam ex mortuis resurrectio-
nem Judæis pertinaciter Evangelio resistentibus facere debe-
ant Apostoli, scilicet primum testari in Hierusalem in omni-
fuda & Samaria, Act. 1, 8. sed si Judæi pergant reluctari &
contradicere, convertere se ad gentes, sicut Paulus & Barna-
bas fecerunt Act. 13, 46. Hic ergo Salvator optimus proprio
exemplo Apostolis in demandato officio præcedens, mittit eos,
quem-

quemadmodum & ipse missus à Patre Joh. 20, 21. autoritate plane divina, sibi in tempore data, qua eos ad fortiter suscipiendum hoc ministerium, perferendasq; omnes in eo calamitates efficaciter excitare voluit. *Data est mihi*, inquit, *omnis potestas IN COELO*, ergo non debetis dubitare, me Spiritus robore cœlitus dato vobis in ministerio adfuturum & corda hominum virtute verbi ac Spiritus potenter converfurum. *Data est mihi omnis potestas IN TERRA*, ergo non debetis dubitare, me contra furores mundi & persecutiones tyrannorum vos potenter defensurum. Non ablego vos in terras Dominio meo exemptas, sed in illas mundi oras ac plagas, quæ me Regem & Dominum agnoscere coguntur, ergo forti ac intrepido animo munus prædicandi Evangelii in toto orbe suscipite. Gerh. Harm. Cap. ccxvi. p. 2240. b.

§. V. II. *Per quos vocaverit* Christus, seu quorum ministerio in hoc opere velit uti, indicatur clare in textu, quando dicitur: *καὶ εἶπεν αὐτοῖς ἰ. μαθηταῖς, dixit illis*, nempe *discipulis*. Per *ἰ. μαθηταῖς* non generaliter intelliguntur Christi fideles, quos Lucas Act. 11, 26. *χριστιανῶς, Christianos*, appellat, quosq; Act. 6, 2. expresse *τοῖς δώδεκα, duodecim* contradistinguit, sed specialiter Apostoli *ἑνδεκά, undecim* adhuc temporis Matth. 28, 16. numero Collegii Apostolici duodenario per nefariam Judæ defectionem turpiter rescisso & mutilato: His mandatur ut abeant, non ut in cathedra Papali Romæ sedeant ac Regimen Monarchicum in Ecclesia administrent, quod à Petro annis xxv. factum fuisse existimant Pontificii, sed ut *πρόευωνται, proficiscantur, peregrinentur*; hoc enim verbum ut plurimum de loci mutatione per profectio- nem alio susceptam usurpatur, ut Matth. 2, 9. c. 10, 6. &c. Mandatur ipsis ut peregre abeant negotiatoris instar, qui quærendi lucri causa, extremos excurrit ad Indos per mare, per saxa, per ignes; ut ubique Evangelicæ prædicationis semen spargant, quo spiritualis lucri messem per quam copiosam faciant; ut percurrant mundum, tetraque errorum caligine discussa veritatis splendore solis ad instar omnia complerent, ac uno Verbo Evangelium prædicent, expresse enim in textu dicitur: *κηρύξατε τὸ εὐαγγέλιον. Evangelii vocabulum πολύ-*

S. V.
II. Per quos
vocaaverit?
per aposto-
los.

σημον est & significat vel faustum ac lætū nūncium quodcun-
 que, eine gute neue Zeitung / eine gute Botschaft; vel præ-
 mium fausti lætisque nūncii allati, das Botten-Brod; vel
 sacrificium, quod ob eventum aliquem faustum aliunde an-
 nūnciatum instituitur, ut observat Erasmus Schmidius in Ver-
 sione N. T. p. 3. Juxta Scripturæ autem usum & in Ecclesia
 DEI vel generaliter universam doctrinam divinis literis pate-
 factam, vel specialiter gratuita peccatorum remissionis per
 Christum annūnciationem designat. Quo sensu intelligas
 nihil interest, Apostolis enim mandatum ut pœnitentiam ac
 peccatorum remissionem prædicent Luc. 24, 47. ut ostensa
 DEI adversus peccatum ira contritis & territis conscientis ac-
 ceptam propter Christi meritum annūncient peccatorum re-
 missionem, præcipue ut lætissimum de Christi victoria, ab in-
 ferno satanaque & peccato reportata, nūncium deferrent, &
 quidem publice, in templis, scholis & Ecclesiis, ut facere so-
 lent κήρυκες, qualem se quoque Paulus nominavit 1. Tim. 2, 7.
 Hæc enim vocabuli κηρύττειν emphasis est. Quod mandatum
 fidelissime executi sunt Apostoli, ita ut ex Origene referat Eu-
 sebius per universum orbem eos fuisse dispersos, ac Thomæ
 quidem, ut habet traditio, obtigisse Parthiam, Andræ Scy-
 thiam, Johanni Asiam, Petrum in Ponto, Galatia, Bithynia,
 Cappadocia & Asia docuisse, &c. Gerh. Harm. p. 2243. b. Sic
 tamen, ut, quo non pes, sonus tamen eorum pervenerit, quo
 non personalis Ἀποστολή, eo tamen Ἐπιστολή, divino mandato
 sub prædicatione implicite comprehenso à Θεοπνεύσοις καὶ ὑπὸ
 πνεύματι ἁγίῳ φερομένοις in omnium hominum informationem
 conscripta. Et hoc ipsum munus Apostolicum, si Evangelii
 prædicationem, Sacramentorum administrationem claviumq;
 potestatem immo & ἐπισκοπήν non gregis solum dominici,
 sed aliorum etiam presbyterorum consideres, adhuc in veris
 Ecclesiæ Ministris ejusque Præsulibus viget, licet si proprie &
 specificè spectes ratione potestatis Apostolis propriæ, vocatio-
 nis immediatæ, infallibilitatis, θαυματουργίας miraculosæ &c.
 cessaverit, ut contra Bellarminum & Saraviam hoc demon-
 stravit Gerhard. L. de Ministr. Eccl. par. 219.

§. VI. III. Quos vocaverit, vel per Apostolos vocari velit Christus, est *ἅπας κόσμος, πάντα κτίσις, totus mundus, omnis creatura.* Duplex universalitas satis emphatica. Priori nullam regionem, nullam urbem, nullum vicum, immo ne ullum terræ angulum à prædicatione Evangelii Christus vult excludi, posteriori omnibus hominibus, quicumque etiam illi sint, gratiam offerri. *ἅπας omnem denotat & totum, Græci enim hoc vocabulum ut Hebræi suum* *כּל* *non solum distributive usurpant pro quantitate discreta seu pro omnis, sed etiam collective pro quantitate continua seu totus uti Gerh. notat Harm. p. 2242. b. idque ex Exod. 12, 47. & 2. Tim. 3, 16. probat. Κόσμος, mundus non pro ipso mundi systemate sumitur ut sæpius in Scriptura, illud enim doctrinæ & informationis capax non est, sed pro incolis mundi, hominibus in mundo viventibus, ut Joh. 12, 19. non quidem solis electis, hi enim exclusis reliquis nunquam & nusquam hoc vocabulo denotantur, sed omnibus qui erroribus & ignorantia veri DEI, verorum cultuum, veræque ad salutem viæ detinentur, qui vel per doctrinam legis, vel Philosophiam ad salvificæ veritatis cognitionem vitamque æternam pervenire quærebant. Adeoq; his verbis Christus docet: Regnum suum per prædicationem Evangelii inchoandum non circumscribi angustis Judææ limitibus, sed in totum terrarum orbem esse prædicandum. Nunc sublatum per passionem ac mortem suam Judæos inter ac Gentes *μεσότοιχον*, Eph. 2, 14. Omnibus offerendam gratiam. Omnibus prædicandum Evangelium, cujuscunque sint status atque conditionis, *πάνση κτίσει, omni creatura.* Nunquid ergo etiam bestiis inanimatisque rebus? ita sane hoc mandatum accepisse dicitur Franciscus, de quo in libro conformitatum refertur, quod avibus, piscibus & aliis animalibus prædicarit. Gerh. Harm. p. 2242. b. Sed hæc ineptiæ vel ex sola Matthæi inspectione refelli possunt, qui *πάντων κτίσεων* Marci per *πάντα τὰ ἔθνη* exponit, omnes gentes, omnesq; omnino homines intelligit; homo enim *καὶ ἐξοχὴν* est omnium creaturarum nobilissima & excellentissima, *עוֹלָם עוֹלָם מִיְהוּדָה* *μικρόκοσμος*, parvus mundus. Interim sane est *ὑπερβολὴ ἐμφατικὴ*, ad omnes Evangelii præconium pertinere significans, adeo ut si bestia quoque & saxa audire possent, non excluderentur.*

S. VI.
III. Quos
vocaverit?
Omnes ho-
mines.

§. VII.

§ VII.
IV. Ad quid?
Ad fidem &
salutem.

§. VII. IV. *Ad quid ergo omnes gentes vocatas esse si quæras, textus clare respondet: ad fidem, ut credant, & per fidem salutem æternam accipiant.* ὁ πιστεύσας, qui crediderit, inquit textus, i. e. doctrinam divinam de gratuita peccatorum per Christum remissione probe cognoverit, verum ac indubitatum ei assensum præbuerit, ac plena cordis fiducia in illa acquieverit. Non enim hic sermo est de fide miraculosa, historica, hypocritica, mortua &c. sed de vera, viva, justificante & salvifica, in qua tres hosce diversos actus concurrere, adeoque tres ejus partes esse jamdudum contra oppugnantes probatum iverunt Theologi nostri, ex quibus B. Chemnitium P. I. Exam. Conc. Trid. de fide justificante, & B. Gerhardum L. de Justificatione par. 67. recensuisse sufficiat. Conf. Max. Rev. D. PRÆSIDIS Disp. I. de fide cordis & confessione oris ad Rom. 10, 10. *Prima ejus pars est Notitia, non ignorantia, ut quidem Bellarminus l. 1. de Justificat. c. 7. vult, inquit: Melius per ignorantiam quam notitiam definiri posse, sc. ut fidem suam implicitam, qua quis credit, quicquid Ecclesia credit, etiam quid credat, sapius nesciat, contra clarissima Scripturæ dicta, Esaj. 53, 11. Job. 19, 25. Joh. 17, 3. &c. cum aliis Pontificiis statuminet, refutatus propterea à Magn. D. PRÆSIDE Disp. II. citat. sed νόσις & ἀληθινὴ πρᾶξις viva & efficax, i. e. apprehensio intellectualis doctrinæ cœlestis revelatæ in genere, in specie vèro promissionis de gratuita peccatorum nostrorum remissione per & propter Christum. Hanc excipit ut altera Fidei Pars συγκατάθεσις seu assensus, qui judicium intellectus practicum est, quo ea, quæ de Christo Eiusque merito gratuitaque peccatorum remissione Scriptura tradit, fidelis certo ac indubitato vera esse credit, non generaliter tantum, sed ita ut statuat, universalem promissionem privatim ad se quoque pertinere, se quoque includi & comprehendi in universali illa promissione. Vid. B. Chemnitium Exam. C. T. Part. I. p. m. 163. Tertia Pars fiducia est in Christi merito acquiescens hominemque proinde sola justificans. Licet enim pro ea à Patribus Conc. Trid. Sess. 6, c. 12. non sit agnita & à Socinianis purum pūrum commentum & insanissimum somnium nominata. vid. Auctores ap. Quæst. P. IV. de fide justif. Sect. II. Quæst. II. in*

Arli-

Ἀνίθεσι; est tamen vera fidei pars, & quamvis non ipse Christus, ut asserit Weigelius, P.I. Postill. p.198. acceptio tamen seu apprehensio θεανθρώπου appropriativa ad se in individuo. Quam Paulus ἑμφατικῶς describit per πληροφορίαν, certam animi de salute persuasionem Rom. 4, 21. per πεποίθησιν, Rom. 8, 38. per παρρησίαν libertatem sine omni trepidatione divinæ misericordiæ confidentem Hebr. 3, 6. per ὑπόστασιν, immotum fundamentum & ἔλεγχον, indubium argumentum, quo credens certitudinis suæ convincitur. Hebr. 11, 1. vid. B. Diet. Inst. de Justif. Quæst. II. Qui igitur hac fide fuerint præditi, eos certo salvatum iri, Christus gratiose promittit. ὁ πνεύμας σωθήσεται. *Verbum σωζέσθαι* vel servationem corporalem notat, & idem est ac à morbis & morte liberare & in vivis conservare, ut Marc. 5, 23. ubi Ἀρχισυνάγωγος à Christo petit, ut ægrotanti filix manus imponat, ὅπως σωθῆ ἢ ζήσεται, *ut servetur* (in vita sc.) *ἢ vivat*; vel spiritualement, & idem est ac salvare, salvum reddere à peccatis & morte liberare ut Matth. 1, 21. ubi Angelus de Christo prænunciat, quod σώσει Ἰσραὴλ ἀπὸ πάντων ἁμαρτιῶν αὐτῶν, *salvaturus sit populum suum à peccatis eorum*, conf. Act. 4, 12. Posteriozem hanc significationem hoc nostro in loco πρώτως & præcipue obtinere, clarum est, nec probatione indiget. Vitam æternam promittit fidelibus, sed ex gratia, χάρισμα enim est & κληρονομία, nec obtineri potest à nobis, neque etiam à fide ipsa, quatenus consideratur ut opus nostrum, contradistincte merito Christi & abstractive, licet concretive cum merito Christi, multo minus operibus, quantumvis etiam à renatis & justificatis fiant, uti quidem existimat Conc. Trid. Sess. 6. Can. 32. à B. Chemnitio in P.I. Exam. de B.O. solidissime propterea refutatum. Est & manet donum DEI gratuitum, cujus dulcedinem jam in hac vita per prægustum percipiunt fideles, qui nunc sunt liberi DEI, 1. Joh. 3, 2. quoad gratuitam peccatorum remissionem, Act. 10, 43. plenariam propter Christum justificationem, Rom. 4, 5. SS. Trinitatis inhabitationem, Joh. 14, 23. fiducialem ad DEUM accessionem, Rom. 5, 1. seq. & plenariæ consecutionis certitudinem, 2. Tim. 1, 12. Rom. 8, 38. A qua beatitudine exclusi manent infideles, non propterea, quod Deus maximam lapsorum partem in lapsu

B

præter-

præterire & relinquere decreverit, quæ Infralapsariorum & plerorumque hodie Calvinianorum sententia est, multominus quod maximam hominum partem pro solo beneplacito suo creare ad interitum & præcipitare in exitium decreverit, ut absolutam suam potestatem declararet, quæ Supralapsariorum, Bezæ, Gomari &c. admodum dura est doctrina, sed quia non credunt, ὁ ἀπίστος καὶ ἀκριδῆσται, inquit textus. Conf. Joh. 3, 18.

§. VIII.
V. Quo me-
dio?
V. C. S.

§. VIII. V. Quo denique medio DEUS in hac vocatione utatur, adhuc ex textu indagandum venit. Nempe Evangelium illud est medium & baptismus. Verbum ἀκουσθῆναι, audible & ὁραθῆναι, visibile. Evangelium primum, propterea enim id prædicari voluit Christus, ut eo homines vocarentur & quo venissent, efficaciter interius moverentur. Nam verbum DEI non objectivam tantum representativam & significativam vim habet, ceu Rathmannus existimavit, multominus litera mortua est, ut ex male intellecto loco, 2. Cor. 3, 6. colligit Weigelius, neque etiam ab eo separatus est Christus & spiritus, uti verbum externum ab interno, per quod Christum intelligit, separat, & solo verbo interno fidem concipi asserit Schwenkfeldius, sed est λόγος δυνάμειος σώσει τὰς ψυχὰς ἡμῶν, Verbum quod potest salvas facere animas nostras, Jac. 1, 21, imò non δυνατὸς tantum, sed ipsa δύναμις, potentia in abstracto Rom. 1, 16. i. e. potentissimum & efficacissimum medium propagandæ fidei & consequendæ salutis. Conf. Hebr. 4, 12. Joh. 6, 63. Vid. Magnif. DN. D. PRÆSIDIS Disputationes de Illuminatione Spirituali ad Dictum 2. Petr. 1, 19. præcipuè Disp. VI, VII, & VIII, ubi Argumenta citatorum Fanaticorum refutat. Alterum medium baptismus est, ita enim textus: ὁ βαπτισθεὶς, qui baptizatus fuerit. Verbum βαπτίζειν & βαπτισμὸς vel generaliter pro quacunq; lotionem sumitur, Marc. 7, 4. vel per metaphoram pro baptismo sanguinis seu crucis Matth. 20, 22. vel per metaphoram pro baptismo fluminis, i. e. miraculosa Spiritus S. effusione, Matth. 3, 11. vel specialiter ut h. l. pro baptismo fluminis i. e. priori N. T. sacramento, quo infantibus, qui antea sancti non sunt, sanctitate interna, spirituali, jus in re habente, nec in fœdere DEI, adeoque hoc medio summopere indigent, non tantum

tantum significantur bona cœlestia & adumbrantur, sed vere vi verborum institutionis exhibentur & conferuntur. Gerh. Harm. l. c. p. 2245. Et sicut baptismus gratiæ in vocatione oblatæ nos participes reddit: Sic S. Cœna in eadem nos confirmat, ut ex Verbis Institutionis Matth. 26, 26. & ex Paulo, 1. Cor. 10. & 11. clarissimè constat.

SECTIO II. DOGMATICA.

§. I. **V**idimus hæc dicti nostri cum antecedentibus connexionem, sensum item & genuinam verborum explicationem, placet nunc pedem movere ulterius, & ejusdem ductu quæ circa præsentem Articulum occurrunt momenta paulo altius pensitare, sic tamen ut velut in *συνόψις* & tabella quadam omnia quam brevissime complectamur.

§. II. *Causa efficiens principalis* gratiosæ ad fidem vocationis DEUS Trinus est, Pater, Filius & Spiritus Sanctus. Est enim hæc Vocatio opus ad extra, adeoque indivisum & tribus personis commune, ut habet Theologorum regula. Hinc tribus etiam personis in Scriptura S. tribuitur: Patri 2. Tim. 1, 9. *DEUS*, sc. Pater, voce *θεὸς ὑποστατικός* sumpta, *vocavit nos vocatione sancta*. Filio, in explicato nostro loco, *is enim ad prædicandum Evangelium Apostolos in mundum emit- tit*. Conf. Rom. 1, 6. Prov. 1, 20. Spiritui Sancto, *nam prædicationis Evangelii ministerium Spiritus vocatur*, 2. Cor. 3, 6. Quo ipso tamen ordinem personarum, œconomiam & appropriandi modum non excludimus, juxta quem Spiritui S. in hoc potissimum opere manifestato competit, ut in tertio fidei nostræ articulo profiteamur. Vocat autem is non uno eodemque modo, sed variat sæpissime; *vel ratione gradus & circumstantiæ*, sic aliter vocavit Judæos in V. T. ac gentiles, ut David innuit, Psalm 147, 19, 20. Non facit sic ulli genti, *לֹא עָשָׂה כֵן לְגוֹי אֶחָד* taliter; hac ratione, hoc modo, sc. ut eligat in peculium, ut verbum suum per jure Prophetarum ministerium annunciet. *Vel ratione temporis*, retardat enim interdum hanc vocationem, quia Evangelium majores alibi fructus laturum prævidet Act. 16, 6. non tamen penitus negat, ut Matth. 10, 5. ubi ad solos Judæos tum temporis Christus discipulos emittit, quia Judæis pe-

Sectio II.
Dogmatica.

§. I.

§. II.
Causa efficiens principalis.

culariter facta promissio de Messia, Act. 13, 46. & quia Christus minister circumcisionis esse debebat, Rom. 15, 8. *Vel ratione modi*, vocat enim interdum extraordinarie per miracula, qualis vocatio Chorazim & Bethsaida obtigit, non denegata Tyriis & Sidoniis, populo Israelitico vicinis, omni & ordinaria vocatione, Matth. 15, 21. *Vel gratiam penitus aliquando auferre*, specialem intellige, non ex absoluto aliquo decreto, ex absoluto aliquo odio, sed ob majorum delicta, qui lampadis Evangelicæ preciosum depositum non tam fideliter ac par erat seruarunt, & ob propria posteriorum peccata, à parentibus per nativitatem & educationem contracta & propria malitia aucta. Vocatio enim ordinaria per lucem Verbi tamdiu manet, donec contumacia hominum iustitiam divinam provocet. Voluntate siquidem antecedente, seu misericordiæ, quæ non nuda voluntas signi est, sed desiderium & intentio serua, vult omnes salvari, & omnibus ex miseria eluctandi media ordinavit; voluntate autem consequente seu iustitiæ, decretum fecit de hominibus, tum salvandis fidelibus, tum damnandis incredulis. Et hinc est, quod cesset aliquando specialis, apertus, directus, illustris & manifestus per Verbum & Sacramenta vocandi modus; licet non desinat generalis, obscurus, implicitus & indirectus per inlitam notitiam, propriam conscientiam, Famam, &c. Vid. B. Meisneri *Αυδραγωγοί*. Dec. II. quæst. 2.

§. III.
Causa impulsiva.

§. III. *Causa impulsiva* duplex est, vel interna, αἰτίον προηγουμένον, vel externa, αἰτίον ἀποκαταρκτικόν. Causa impulsiva non sunt opera nostra, non meritum aliquod nostrum, sane exulare debent hæc omnia. Causa impulsiva interna est sola DEI gratia, gratuitus DEI favor & misericordia, ut Paulus ait 2. Tim. 1, 9. *Salvos nos fecit & vocavit nos vocatione sancta, non secundum opera nostra, sed juxta propositum & gratiam datam nobis in Christo Iesu ante tempora secularia.* Quemadmodum enim ex sola gratia citra ullum nostrum meritum DEUS Pater nos in Filio immense, infinite & ineffabiliter dilexit, Joh. 3, 16. Quemadmodum Filius ex sola gratia absque ullo merito veniens in carnem nos à peccato, Satanaque & inferno libera-

vit :

vit: Sic ex sola gratia Spiritus S. in Evangelio beneficia mortis ejus, in beneficiis mortis ejus gratiam DEI, in gratia DEI vitam æternam obtulit. Si autem ex gratia, non ex operibus, alias gratia non esset gratia, ut Paulus emphatice hoc urget Rom. 11, 6. & Eph. 2, 8, 9. Causa impulsiva externa est extrema hominum miseria, in quam per peccatum tum hæreditarium tum proprium sunt prolapsi. Quæ enim causa externe movit DEUM, ut hominis per missionem Filii sui miseretur, ea etiam movit, ut beneficia ex morte Christi nata omnibus offerret, exhiberet, distribueret.

§. IV. *Causa meritoria* Christus est cum justitia & satisfactione sua. S. IV.
Causa meritoria Ut enim is omnia bona spiritualia vel mediator noster juxta utramq; naturam, obedientia activa & passiva pro hominibus satisfaciens: ita & hanc vocationis gratiam nobis acquisivit. Dicimur enim expresse à Paulo *vocari secundum gratiam*, meritis Christi, qui omnis gratiæ fons est, partam, 2. Tim. 1, 9. Propterea cum consummata passione sua ex mortuis resurgens Apostolos in mundum emitteret, hoc ipso ostendit, quod non solum pro omnibus satisfecerit, sed etiam ut omnibus hæc beneficia offerrentur promeritus fuerit. Hinc & ipse in diebus carnis homines humanissimis ad se vocavit formulis. Matth. 11, 28. *Venite ad me omnes, qui laboratis & onerati estis, ego reficiam vos.* Venite non ille & ille, sed omnes, qui curis, qui doloribus, qui peccatis laboratis. Imo cum videret hanc gratiam, tanto sudore partam, à plurimis contemptui haberi, nec in justo precio esse, imo pedibus conculcari, hanc extremam hominum, præcipue Judæorum malitiam lacrymis deploravit, Luc. 19, 41. acerbissimis sanè & seriis. Non enim æquo hic audiendus est animo Piscator, qui in Resp. ad Disput. D. Taufr. p. 40. excipit: *quod Christus interitum Judæorum deploraverit sincere ut verus homo: ad interitum autem illos destinaverit juste ut DEUS, liberrimam habens in suas creaturas agendi potestatem.* Ex qua sententia multa absurda fluere pluribus ostendit B. Danhavver. Hødom. Spir. Calv. p. 1867. Lacrymæ sane hæc amorifluæ & expiatoriæ nihil sic discreparent à Crocodilinis lacrymis.

§. V.
Causa ministerialis.

§. V. *Causa ministerialis* omnis is est, cujus ministerio DEUS in hoc opere utitur. Sic per Protoplastos vocavit ante diluvium, per Noachum post diluvium omnes, licet huic vocationi morem non gesserint immorigeri isti Cain & Cham, homines turpissimi. Sic extra ordinem per captivam illam servulam Israeliticam vocavit Naaman Syrum, 2. Reg. 5, 2. ordinarie autem per Prophetas in V. T. & Apostolos in N. T. ac hodie per ordinarios Ecclesiæ ministros, hi enim sunt DEI æconomi, hi sunt servi, tanquam proxenetæ ad invitandos homines ad cœlestes nuptias, emissi, his mandatur ut Evangelii semen ubiq; spargant, Sacramenta juxta Christi institutionem administrent, & gratiam DEI, remissionem peccatorum, justitiam & salutem æternam DEI loco hominibus annuncient. Et licet non omnes boni sint in vita ministri, efficax tamen est eorum ministerium, ut contra Donatistas Art. VIII. asserit A. C. quia vis & virtus verbi non ab intentione & malicia ministri, sed ab interna Spiritus S. cum verbo operatione dependet, ut ex Epistola ad Philipp. c. 1, 18. omnium clarissime patet.

§. VI.
Causa organica.

§. VI. *Causa organica*, seu medium illud, quo DEUS homines ad fidem vocare solet, est Verbum & Sacramenta. Invitamenta autem, homines ad hoc mediū pædagogi instar ducentia, varia sunt, partim intra hominem innatæ notitiæ semina & radii naturæ licet tenues, *γνωσὶν δὲ τὸ θεῶν παρρησιῶν ἐστὶν ἐν ἀνθρώποις, notum Dei manifestum est in ipsis*, Rom. 1, 19. & propria conscientia, esse Deum, eundemq; colendum esse dictitans, Rom. 2, 14. partim extra hominem omnia naturæ vestigia, tot & tanta, ita obvia & frequentia, ut in ea vel cæcus incurrat. Quibus poterant homines natura Athenienses, i. e. curiosi ad veræ religionis principia & ad januam quasi veræ Ecclesiæ & Thesauri Ecclesiæ Scripturæ S. duce ratione pertingere, Danh. Hodos p. 865. Erat fama de Ecclesia in illustri loco constituta. Erant prodigia in Ægypto facta, submersio Pharaonis in mari rubro & populi Israelitici ex manu illius liberatio. Erat Judæorum per captivitatem facta dispersio, Vaticiniorum Prophetiæ descriptio & publica promulgatio &c. Imo quid erat ridiculus ille, ad hominum sc. sensum, circumcisionis ritus? quid sacrificiorum cœlesti igne accentorum magnificentia? nisi tacita omnium gentium

tium ad Ecclesiæ gremium invitatio. Mirarentur primo ridiculum actum, deinde indagarent hujus consuetudinis causas, originem, finem. Et cur Hierosolyma in umbilico atq; centro, in meditullio terræ fuit sita, nisi ut odor doctrinæ ad omnes gentes propagaretur, & schola divinæ agnitionis omnibus pateret? quod quomodo in IV. Monarchiis factum ostendit Gerhardus Disp. Isag. XIX. de prædestin. p. 744. Ex quibus omnibus sic poterant colligere homines: DEUM esse, esse bonum DEUM, *αγαθοποιόν*, esse propterea colendum, sed non quovis modo, ideo oportere esse aliquod lumen, quo beneficium Numen suam voluntatem dictaverit, ac id quærendum esse. Et hac ratione adducti essent ad verum perveniendi in cælos medium, Verbum & Sacramenta, ut Sect. I. §. VIII. ostendimus. Non enim vocat DEUS immediate sc. ratione intervenientis medii, sed mediante verbo, quod sane efficacissimum est, ex se & sua natura *faciens quæcumq; Deus voluerit, nec revertens vacuum*, Esaj. 55, 11. Quamvis ex accidenti ob incredulitatem hominum, in singulis auditoribus fructus facere non possit. Cum enim isti verbum in debito precio non habeant, scripturas non scrutentur, dies noctesq; divina mysteria non meditentur, hinc nec ipsis data est *πνευματικὴ* mysteriorum scientia, & mystica parabolæ intelligentia, quo perniciosæ suæ oscitantia justas pœnas luant. Ut Christus Luc. 8, 10. ad auditores explicationem dictæ de quadruplici semine parabolæ petentes dixit: *Vobis (petentibus explicationem) datum est nosse mysteria regni cælorum, reliquis autem (qui tam flocci faciunt conciones meas) per parabolas &c.*

§. VII. *Objectum* hujus vocationis non tantum sunt genera singulorum, hoc est ex omnibus aliqui, sed & singula generum, non tantum electi, sed etiam reprobi, omnes in universum homines, nullo qui vixerunt, vivunt & vivent excepto, nullo excluso, hanc enim emphasin in vocibus *πάντων ἁλλοθεν* inclusam esse Sect. I. §. VI. indigitavimus. Quemadmodum enim Deus Pater omnes homines vult salvos fieri & ad agnitionem veritatis pervenire, 1. Tim. 2, 4. nec vult quosdam perire, sed omnes ad pœnitentiam converti, 2. Petr. 3, 9. Quemadmodum Filium, agnum totius mundi peccata portantem, fecit *ἰησοῦν*, non pro nostris,

§. VII.
Objectum,

nostris, sed etiam totius mundi peccatis, 1. Joh. 2, 2. & per illum omnium est misertus, Rom. 11, 32. sic etiam omnes ad amplectenda quæ Christi morte parta sunt, beneficia invitat & vocat. Vult predicari in nomine Jesu penitentiam & remissionem peccatorum in omnes gentes, Luc. 24, 47. Annunciat ut omnes ubiq; homines resipiscant, Act. 17, 30. Omnibus acclamat: Omnes sitientes venite ad aquas. Esaj. 55, 1. Ex se enim & tota animi sui sententia propensus est omnes vocare, sanctificare, regenerare & salvare. Hoc ipso fine omnes gratia sua prævenit, omnes vult præparare, fidem in iisdem operari, ad bona omnia præstare auxilium. Hinc etiam reprobos ad se vocat & pereuntes. Tota enim die expandit manus suas ad populum incredulum. Esaj. 65, 2. Loquitur ad eos, qui ipsum non audiunt, Jer. 7, 13. vocat, qui non respondent, v. 14. offert gratiam impiis, qui tamen non discunt iustitiam, Esaj. 26, 10. Conf. Prov. 1, 20. Et quis omnia illa dicta colliget: totam citius exscripseris Scripturam, quam omnia coacervaveris & expenderis testimonia, non legale DEI imperium, sed gratiosam ejus & jam merito Christi reconciliatam voluntatem in omnes singulosque homines exponentia, qua in meras particularitates converti, furori similis est, quam temeritati. D. Fecht. Disp. de Gratia Divina, Aphor. 17. Quamvis non omnes compareant invitati ad cælestes nuptias. Sunt enim notante Gerardo Disp. xix. Isag. de Prædest. pag. 743. in quadruplici classe constituti: I. Quidam à DEO vocantur, sed vocationem aspernantur, & hi dicuntur καλημένοι Matth. 22, 3. II. Quidam vocati in cœtu Ecclesia comparent, verum non ex animo vero & sincero, sed simulato & hypocritico, hi Sc. dicuntur κλητοί Matth. 20, 16. III. Quidam vocationis cælestis actu sunt participes h. e. regenerantur per verbum, donantur fide & Spiritu S. sed ad tempus duntaxat credunt, postea deficiunt, neque initium fidei usque ad finem retinent, Hebr. 3, 14. hi non tantum καλημένοι & κλητοί, sed etiam ἠσοὶ ad tempus dicuntur. IV. Quidam Divina vocationi non tantum obtemperant, sed etiam in fide vera usque ad finem vite perseverant, & hi soli finem divina ~~σεβείσταις~~ ~~ἀσέβεισταις~~ assequuntur, unde κλητοί ~~καὶ ἀσέβεισταις~~ dicuntur, Rom. 8, 28.

§. VIII. *Forma* consistit in *seria, universali, efficaci & libera* voluntatis Divinae manifestatione, & beneficiorum per Christum partorum Ecclesiae oblatione. *Dico I. seria*, non enim simulata est haec voluntas, non fucata, non hypocritica, absit! esset autem sane, si, quod adversarii volunt, DEUS hominibus foris offerret gratiam, intus autem decerneret, se nolle illos, quibus gratiam suam offert, fieri ejusdem participes. Esset & ipse DEUS sanctissimus delusor hominum, omnes ad amplectendam gratiam in verbo suo vocans, à gratia tamen illa quosdam arcano decreto excludens, cum juramento per vitam suam Ezech. 18. & 33. testetur, se nolle mortem peccatoris, sed ut convertatur & vivat. Quamvis enim ut DEUS omniscius vel maxime praevideat, qui recepturi sint verbum, qui non, nulla tamen est consequentia, quod non serio vocet omnes. Eodem enim modo concludi sic posset: scit Magistratus & praevidet, non omnes obtemperaturos legibus, ergo non omnibus serio promulgat leges? scit Princeps non omnes ex Turcica captivitate liberandos hanc gratiam accepturos, ergo non omnes serio vult liberare? falsum. Neque etiam illud obstat, quod non omnes ex audito verbo fidem concipiunt, siquidem culpa non penes DEUM est, sed homines, Spiritui S. per verbum efficaciter sed non irresistibiliter operanti, malitiose obicem ponentes; quod Christus parabola illa Luc. 8. egregie docuit. *Dico II. Universali*, quod §. antec. probatum dedimus. Non enim obstat speciosum illud Calvinianorum pro particularitate argumentum, ab experientia desumptum, quando illi dicunt: Si vocatio universalis esset, omnibus praedicaretur Evangelium, quod nullibi factum. Quot enim populosissimae sunt gentes in India, America, &c. quae ministerio verbi penitus destituuntur? *Cum enim DEUS OMNIBUS ubiq; hominibus annunciet ut respiciant*, Act. 17, 30. *Cum jam Pauli tempore in OMNEM terram exiverit sonus Apostolorum, & ad fines orbis verba illorum*. Rom. 10, 18. *Cum Apostoli admonuerint OMNEM hominem, docuerint OMNEM hominem in omni sapientia, ut sistant OMNEM hominem perfectum in Christo Jesu*, Col. 1, 28. (en tamen tibi ne dubites universalitatem!) quid temeritatis esset ad aliquos saltem restringere? Ad minimum non desunt his promulgetes & invitamenta §. VI. adducta. Nec est, quod nobis lo-

§. VIII.
Forma.

C

cum

cum objiciant Matth. 22, 14. ubi *multi vocati dicuntur*, cum notum sit, Scripturam sæpe per multos intelligere omnes, ut Dan. 12, 2. *multi resurgent*, i. e. omnes. Joh. 5, 28. *Multi mortui sunt*, Rom. 5, 15, i. e. omnes, v. 18. *Dico III. Efficaci.* Falsa enim est, Script. S. & immensæ DEI *φιλανθρωπία* contraria, sensu heterodoxo intellecta, distinctio inter voluntatem signi & beneplaciti, externam & internam, efficacem & inefficacem, &c. quam pro aris & focis defendunt Calviniani quamplurimi à B. Meistro *Αυθρωπ.* Dec. II. quæst. II. cum propriis suis verbis citati, ut sunt Calvinus, Beza, Ursinus, Perkinsius, Zanchius, itemq; Whittakerus, qui e.g. Quæst. I. de Eccl. c. 7. scribit: *Duplex est vocatio, generalis & specialis. Illa in externa tantum predicatione consistit, qua omnes, qui sunt in Ecclesia externa societate, vocantur. Hac autem consistit in vi quadam interna Spiritus S. in cordibus intus operantis, qui attrahit eos, qui vocantur ad Christum. Hi tantum sunt de Ecclesia, illi quandoq; non.* Quasi Deus vel non omnes præcipue reprobatos vocet, vel si vocet, omnibusq; objectum credibile ad salutem ordinatum proponat, non tamen in omnibus vi Spir. S. operari velit, quo mens eorum ad amplectendum & admittendum illud objectum reddatur idonea, & vocatio hinc inefficax sit. Sane ut nihil dicamus, quod contradictionem implicet, gratiam esse, & tamen non benevolam, non efficacem, non gratificantem, gratiam prima fronte blandam, à tergo perniciosam, profecto vana sit necesse est hæc gratia, fallax & illusoria: Joabica & Iscariotica osculo & salutatione: Tiberiano-Domitiana, si vocatio interna externæ non ex affe congruit, si externæ vocatus esse potest, qui non interne. vid. B. Danh. Hod. Calv. p. 1866. *Dico IV. Libera*, nempe quoad horas & moras, occasiones & modos, quod his citius, aliis tardius, his diutius, aliis brevius, his uberius, aliis parcius prædicatio obtingat, ut §. II. vidimus. Spiritus enim spirat quo vult. Joh. 3, 8.

§. IX.
Finis.

§. IX. *Finis* vocationis vel intermedius est, vel ultimus. *Intermedius* est *θεογνωσία & θεοσέβεια*, cognitio & cultus DEI, nempe ut dissipata mentis caligine & discussis intellectus tenebris DEum Patrem per Filium in Spiritu S. cognosceremus, eumque præscripto ab ipso modo, non qualem ratio veri cultus nescia dicitur, veneremur fide in Christum vera, per caritatem

ἐν ἐπ-

ἐνεργημένη, & instar bonæ arboris fructus jugiter proferente. *Ultimus* est hominum beatitudo, ὁ πτεύσις, inquit textus noster explicatus, σὺ δὲ σέλαι, itemq gloria DEI, sic enim Paulus 2. Thefl. 2, 14. *Vocavit vos* (DEus v.13.) *per Evangelium nostrum ad possessionem gloriæ Domini nostri Ἰησοῦ Christi.*

§. X. Ex his omnibus nullo negotio hæc confici poterit *definitio*. Vocatio est actio DEI Trinunius, οἰκονομικῶς Spiritus S. *Definitio.* qua ex immensa misericordia, miseria nostra motus, omnes in universoni homines propter Christum serio & efficaciter per Verbum & Sacramenta ad fidem vocat, in gloriosam sui Nominis laudem & hominum salutem.

SECTIO III. PRACTICA.

Delibavimus hæcenus divinæ misericordiæ dulcedinem, ex gratiosa vocatione in nos redundantem. Quid non exclaimemus cum Paulo: ὦ βάθος, ὦ altitudinem! ὦ profunditatem divitiarum! Quis enim mente, quis ore, quis cogitatione, quis calamo exprimere poterit immensum tantæ gratiæ oceanum? Quorsumcunq; B.L. mecum convertas oculos, amoris Divini nos radii intensissimi, radii penetrantissimi complectuntur. Cum pereundum esset homini, in miserrimum pro dolor! damnationis statum prolapsa, cum subeundæ propter peccata infernalium tormentorum pœnæ, En! DEum ἀπαγγεῖλαι misericordiæ ad mittendum non solum orbi Redemptorem Filium proprium, Filium unicum, Filium dilectissimum propellebant, sed cum parta jam essent tot tantaq; per Filium bona, inæstimabilia beneficia, ad ordinem & modum disponendum quasi cogebant, quo omnes eorum reddantur participes. Ineffabilis hic prorsus elucet Divina bonitas. Nos mortuos hæc gratia vocatrix ad vitam revocat. Jacentes in sanguine erigit. E mundi insidiis liberat. E faucibus dæmonis eripit. In densissimis tenebris constitutos, *ad mirabile lumen ducit*, 1. Petr. 2, 9. Diabolo mancipatos, *Christi peculium constituit* 2. Thefl. 2, 14. DEO & Angelis exosos, *per pacem gratos nos reddit*, Col. 3, 15. Ex cælo exelufos, *cælestis nos gloria participes facit*, 1. Petr. 5, 10. O gratiam humanum captum, humanum ingenium, humanam sapientiam longissimè superantem. Quid ὦ clementissime DEus pro tanta tibi retribuamus gratia? *Gratias*

*Sectio III.
Practica.
Διδασκαλία.*

Παιδεία.

ore & corde agamus indefinentes: *Benedictus sit DEus in gentibus! Benedictus in omnibus populis! Benedictus omnibus temporibus!* Gratias agamus & opere. *Vocati sumus vocatione sancta, 2. Tim. I, 9.* Sancte igitur vivamus, sanctitate mentis, cordis, cogitationum, voluntatis omniumq; affectuum. *Vocati sumus ad poenitentiam Matth. 9, 13.* In perpetua igitur vivamus poenitentia, omnis nostra vita nil sit nisi poenitentia. Vincamus per carnis mortificationem lascivæ carnis illecebras, reprimamus divina virtute & mundi & satanæ omniumq; hostium insidias. Renovemus nos indes spiritu, omniq; impietate abnegata, sobrie, caste & pie, & ut uno verbo omnia complectar, *digne vocatione nostra vivamus*, id enim est, quod iterum iterumq; Paulus in suis Epistolis urget. Hoc divina adjuti gratia si fecerimus, licet nos maxime adhuc infestet diabolus, tentet, angat, mordeat peccatum, caro & mundus, maximo tamen robore, maxima fortitudine his resistere poterimus; certi de gratia DEI, ad nos quoq; spectante; certi de merito Christi ad nos in individuo pertinente; certi de assistentia DEI, de auxilio & aliis beneficiis nobis etiam, quia omnibus hominibus, per vocationem oblati. Imo hæc Gratia, quæ nos membra constituit regni in terris gratiæ, membra quoq; faciet regni in cælis gloriæ. Comitabitur nos ex hoc mundo euntes, DEOq; fumo bono sic uniet, ut eo æternum lætemur, gaudeamus, fruamur. *Quos enim predestinavit, eos etiam vocavit: & quos vocavit, eos etiam justificavit: quos vero justificavit, eos etiam glorificavit.* Rom. 8, 30. Huic DEO Trinuni, Patri omnis gratiæ & misericordiæ, pro ineffabili sua mihi per totam vitam & in qualiscunq; hujus dissertationis elaboratione concessa gratia sit laus, honor & gloria in sempiterna secula.

Θεῶ Μόνω Δόξα!

Hos Versus, HECKHINGE, Tuus tibi mihi Orestes,
 Quem prope Danubium Patria Terra tenet:
 Gratans, ut doctum CERTAMEN ITERq; paratum
 Ex Voto cedant; dum DEUS ipse VOCET
 TE in Patriam, BAPTIZATUM DOCTUMVE VOCATOS
 In Templis, Pagis, Urbibus atque Scholis.

Hæc in perpetua Amicitia tesseram animo gratulabundo
 Ulmâ transmisi Tui studiosissimus

JOH. JACOB. Stromeyer / SS. Theol. Stud.

